



VVolfgangus ex nobili familia de Grunen-
stein natus, suos tandem omnes ætate supera-
uit, & in ea familia ultimus extitit. Is à pueritia præ-
ceptoribus doctis educandus traditur, à quibus et-
iam ita institutus, ut postea hinc inde in academijs
authorum lectionibus interesse, & eas magno fru-
ctu percipere posset. Deinde monasteriũ nobilissi-
mum Sueviæ Campidonum ingressus est, ut & lite-
ris & pietati commodius incumbere posset. Mona-
sterium illud Benedictinorum magnificum in Sue-
uia extra eiusdem nominis Imperialem ciuitatẽ fun-
datũ est pro nobilibus, à Hildegarde Caroli magni
Imperatoris uxore, anno 777. Primus eius loci Ab-

bas Adalgarius Rolandi bellicosi ducis filius extitit, cuius successores postea
inter Imperij principes recepti fuere. Eam Abbatiam Adrianus pontifex sub
Carolo magno ab omni Episcopali iugo exemit, & mane sacra exercere, po-
stea uerò iura dicere iussit. Hinc uersus: Campidona sola iudicat ense stola.
Cum ergo Vuolfgangus ibi multis uirtutibus fulgeret, 1534 primò Coadiu-
tor, post totius conuentus consensu quinquagesimus quintus eius loci abbas
electus est. Eam dignitatem summa modestia suscepit, & tanta prudentia ad-
ministravit, ut & Carolo & Ferdinando Cæsaribus gratissimus esset, qui etiã
ipsum in cõsiliũ de rebus grauibus adhibuerũt, & Oeniponti suo loco sum-
mum præsidem & regentem constituerunt.